

„ mine Janfenismi intentatas diluere, ac re-
 „ fellere suscepisset „ .

Non necesse fuit horas aliquot à Sanctissimo Domino impendi legendo opusculo, quod Author ipse luci exponere noluit; sed præpropere compositum retractavit; Quæsnellus autem dignâ Janfenistarum Principe perfidiâ in publicum protrusit post Authoris obitum, & nullâ revocationis factâ mentione; imò substituto ei splendidissimo in præfatione mendacio, quòd *Meldensis Episcopus* CONSIDERATIONES MORALES semper magni fecerit. Quanquam, & hoc certum habeat Quæsnellus, opusculum, etsi nullo dignum examine, eo tamen Romæ, etiam jubente Sede Apostolica, non caruisse. Neque oculos tantum subiit inferioris ordinis Theologorum, sed etiam Cardinalium, atque ipsius Pontificis. Alterum hic Quæsnelli mendacium est: sentire se simulat, propositiones quinque ab Innocentio X. Alexandro VII. CLEMENTE XI. esse meritò damnatas, dum non alium in eis sensum damnabilem agnoscit, quam qui à Propositionibus alienus est, & qui non nisi malignè eis affingi potest, ut, & Janfenistarum Legati coram Innocentio X. declararunt in prima libelli supplicis columna, & qui sensus, ut inter nos, & adversarios convenit, nec à Jansenio, nec ab ullo in Ecclesia Theologo unquam traditus est, aut defensus. Proinde quoties Quæsnellus propositiones meritò damnatas agnoscere videtur, aliter dictum non intelligat lector, quàm de sensu fictitio, qui nulli unquam Theologo, adeoque nec Romanis Judicibus venit in mentem. Hunc tamen sensum ridiculum censuris eorum Janfenistæ adscribere solent; Quæsnellus in primis, qui propterea plus luminis desiderat in Sede Apostolica, ut videat, quòd nemo non videt, sensum illum alienum, non fuisse à Jansenio traditum, nec ab ejus sequacibus defendi. Adiri potest *Causa Quæsnelliana* art. 9.

Eadem fallaciâ profiteri Quæsnellus posset propositiones 101. à CLEMENTE XI. meritò damnari, subintelligendo sensum à libro *Observationum moralium* profusus alienum. Ita sensum suum velut à censurâ Pontificiâ immunem retineret, & simul illuderet Ecclesiæ, videreturque definitionibus Apostolicis obtemperans, quas scriptioibus plusquàm schismaticis insectatur. Sed probrosa hæc nimium apparet demissio, & Janfenismi profelytis, ac tironibus periculosa, qui in animum facilè inducerent, faciendam sibi, si Catholici esse vellent, à Quæsnelli dogmatibus secessionem. Nè tamen, ubi viget Fidelium erga Summum Pastorem obedientia, ab officiis, beneficiis, Ordinibus Sacris excludantur, magnâ

Janfenianæ reipublicæ jacturâ, Quæsnellus, vel quiscunque consiliorum ejus, & sensuum intimatorum particeps, modum suggerit, quo salvis omnibus Quæsnelli opinionibus, quilibet damnare valeat propositiones 101. & quidem in omni sensu, qui à Pontifice profulgatur. Hic modus traditur, libro Gallico cui titulus: *Constitutio Sanctissimi Patris Nostri Papæ CLEMENTIS XI. cum observationibus*, ubi asseritur pag. 361. *Manifestum esse, quòd si liber damnetur ob propositiones secundum se, sive in sensu obvio intellectas, Constitutio sit ipsa magis damnabilis, quàm liber, qui per eam proscribitur*. Quibus similia toto opere dispersa sunt usque ad pag. 368. Audaciâ tandem in fraudem conversâ, methodus traditur illudendi Ecclesiæ, & Constitutioni USIGENITUS, quoties opus fuerit ei subscribere, adeoque damnare propositiones 101. sed subintellecto eis sensu exotico, quem constat neque à Quæsnello, neque ab ullo ejus socio fuisse affirmatum. Sic igitur Author subdolos telam suam dolosissimam illic pertexit dicens: *Quòd Sanctissimus Pater damnat, remotissimum est à sensu Traditionis sanctæ, & scripturarum, qui idem est atque Propositionum, & libri Quæsnelliani sensus proprius, & obvius; condemnat autem sensus illos impios, & hæreticos (sed improprios, à Propositionibus alienos, & fictitios) quos Observationum moralium Author ubique tanta indignatione rejicit, & declarationibus tam disertis, tam dilucidis negat*. Illos tamen Pontifex supposuit esse sensus Authoris: illos impetit: illos ferit censurâ, qua tantas turbas excitat. Et quidem ad talem Constitutionis intelligentiam, atque interpretationem ipsa nos adigit S. Sedis reverentia, ac veneratio. Quod si nugari non est, ac Constitutionem, auctoritatemque Pontificiam irritidè, nescio quis lusus, quis contemptus in re gravissima magis indignus, magis irreligiosus valeat cogitari. Indè perspicere possunt Ecclesiæ Præsides, quæ fides habenda sit Janfenistarum declarationibus, & professionibus obedientiæ erga Constitutiones Apostolicas, cum ad Sacros Ordines, aut Beneficia aspirant, à Magistris mendacibus, ac perfidis edocti restrictiones etiam in juramentis, quales vel Casuistarum laxissimus detestaretur.

Priscillianistis sacrilegam hanc fraudem adscribit Augustinus libro de Hæref. cap. 70. *Jura, perjura, secretum prodere noli*; recens verò Janfenistarum Secta, Quæsnello duce, interpretationibus, quas præter ipsos nemo assequitur, nemo non dixerit ineptissimas, eludit professiones omnes Fidei, juramenta omnia pessumdat. Quisquis porrò explicationes illas, & restrictiones adhibere suo loco, & tem-